7 Aduertendum est, ad motum semper requiri duplicem terminum, a quo videlicet, & ad quem, qui quidē termini, præterquam in creatione, semper debent esse positiui; sic cum lignum v. g. ex frigido fit calidum, transitus non fit ex non calido ad calidum esse, sed de esse frigido ad esse calidum, alias terminus ad quem esset priuatio, quia non solum facit transitum de non esse calidum ad esse calidum, sed de esse frigido ad non esse frigidum; neque dicere quis potest, vt inquit Thomas Comptonus hic disp. 40. sect. 1. n. 4. quod est hæc vltima mutatio extrinseca, quia intrinsecè mutatur; quia pars perfectibilis intrinsecum perfectiuum admittit.

8 Aduertendum etiam est, motum prouenire principaliter a qualitatibus contrarijs, quia ipsæ sunt, quæ pugnant inter se; nec est verum id quod dicit Comptonus loco citato n. 5. videlicet, quod motus inuoluat denominationem extrinsecam, nisi fortè ratione terminorum, quia falsum est quod aliqua actio possit conseruari eadem vt ait ipse, & non sit motus; nam sibi ipsi contradicit; inquit namque, quod si non esset frigus in ligno in instanti præcedenti, antequam in illud ignis introduxerit calorē, adhuc eadē numero actione posset in illud induci calor, sicut inducitur in instanti sequenti, & non esset vere motus: & quomodo hoc dicere potest, si iam dixit antecedenter n. 4. loco citato, quod terminus a quo motus est priuatio, iam in casu posito est priuatio caloris, quia etiam si in illo ligno non præcesserit frigiditas, erat per ipsum priuatio caloris; ergo per ipsum adest terminus a quo, & ad quem, atque adeo ratio veri motus; non enim idem immutatus erit dum aliquid sui amittit, vel aliquid quod antea nō habebat, acquirit, & præcipue in actionibus; quia a termino, & a modo tendendi in terminum specificantur sine incluso.

9 Quare omnis motus actio & mutatio est, non autem omnis actio motus est & mutatio; nam creatio est actio, & actio conseruatiua actio vera est, non tamen istæ actiones sunt motus, nec mutationes, nisi loquamur impropriè. Verum vnū est, quod dicere actionem creatiuam esse motum, non esset res improbabilis, quia in sententia illorum, qui volunt terminum a quo esse priuationem, iam res quæ creatur transit de non esse ad esse existentiale; ergo motus duplicem terminum habet, vnū priuatiuum, alterum positiuum; ergo &c.

10 Quotuplex autē sit motus, dico quod alius est successiuus,